



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 266. Confessarius alicujus constituti in occasione proxima peccandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

vires corporis, ac per singulas pollutiones plura tolli roboris, quam si libra sanguinis efflueret, hinc sæpe fit, ut hi fiant phthysici aut alia tabe corporis præmorianur. Alia media suggerere prudentia, usus, circumstantiæ, & imprimis Spiritus S. Quod si nulla remedia juvent, Confessarius suadeat poenitenti, ut ingrediatur Matrimonium, si ætas ferat, aut quandoque etiam statum religiosum, sed talem, in quo sit rigor & disciplina: Vix unquam suadeat statum ecclesiasticum, inquit Sporer, quia in hoc statu vitium illud nimis facile invenit fomenta sua & occasiones majoris ruinæ.

1830. §. 2. Illi, qui se emendant, sæpe affliguntur nocturnis pollutionibus, quas antiquæ imaginationes obscenæ causant, sed terreri non debent, nam quia natura assuevit conficiendo semini, quod non amplius per diem effanditur, hæc se exonerat in somno. Circa miseriam illam dat hoc consilium Gerson p. 2. Num. 38. opusc. De pollutione diurna, prop. 12. *Pollutio diurna vel nocturna, dum sentitur effluere, non debet violenter prohiberi, si probabiliter existimetur, quod huiusmodi violentia frustra esset: nihilominus pro exercitatione virtutis & pro evasione periculi videtur expediens, ut homo conetur prohibere, quantum sentit vel experitur commodè fieri posse, quoniam etsi hæc reventio nocere debeat corpori, proderit animæ: natura denique postmodum uno modo vel alio talem humorem à se ejicit.*

1831. Q. 266. *Quid observare debeat Confessarius alicujus constituti in occasione peccandi. R. Explicavi in l. 5. à n. 252. quandonam censetur esse periculum sive occasio proxima peccandi. Ibidem à n. 256. dixi illum peccare, qui se exponit*



ponit formali periculo vel certo vel etiam probabili tantum, aut qui voluntarie manet in occasione proxima peccandi: & ideo n. 271. dixi talem occasionem esse vitandam cum quocunque incommodo, etiam si mors esset subeunda: ac consequenter concubinarium vel quemcunque alium actu peccare, & nequidem semel absolvi posse, qui domi retinet mulierem, ob quam ipse est in periculo vel occasione proxima peccandi. Si tamen nunc esset nova & certa spes ex prudentibus motivis, quod illam esset proxime eiekturus, aut quod talem occasionem per aliqua media sibi suggesta redditurus esset ex proxima remotam, adeoque facturum, ut hoc, quod haftenus ipsi fuisset formale periculum, postea esset materiale tantum, secundum dicta ibidem à n. 259. absolvi posset pro illa vice: at tamen dixi ibidem non esse hoc facile credendum: Et postea si per experientiam adverteretur, quod permaneret periculum proximum relabendi, omnino absolvi non posset, nisi actu antecedenter removisset talem occasionem, uti ibidem à n. 280. exposui & per plura exempla declaravi. Si pœnitens obtendat, se non posse vitare certam domum vel personam, dic ei; si esset periculum in domo vel à persona illa contrahendi pestem, nunquid invenires modum & prætextum vitandi? jam multò magis, quia tibi afflabitur pestis animæ, quod per experientiam scis.

Q. 267. *Quid observare debeat Confessarius hominis pudibundi, pusillanimis, desperantis de emendatione.* R. 1. Si advertat pudore deterreri, quominus confiteatur, animet his motivis: *Debebis tandem aperire omnia vulnera animæ, & quò*

1832.

quò